



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,  
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et  
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>  
Bonaventura <Heiliger>**

**Antverpiæ, 1591**

De tribus modis orandi. Cap. LX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

## De tribus modis orandi.

## CAP. LX.

3. Orandi  
modus vo-  
calis.

**O**RANDI tres sunt modi. Vnus vocalis, per verba composita & vsitata: sicut cum psalmos, hymnos, collectas, & alias orationes vel laudes compositas, ad excitandam deuotionem vel soluendum debitum recitamus. Triplex autem est attentio. Vna superficialis tantum: vt scilicet attendat quid dicat, quem psalmum interim dicat, vel quam antiphonam vel orationem. Fructus attentionis huius est, quod non cogitur repetere cum sciat se dixisse. Pro labore etiam corporis, quem bona intentione Deo orando obrulit, quo se cogit seruire Deo, mercedem qualemcunque merito expectabit. Alia attentio est literalis, qua homo sensum literalem tantummodo attendit, quid exterius verba sonent. Hæc dat fructum, cum aliquid sonat in superficie deuotum, vt ibi: Miserere mei Deus, &c. & in similibus locis, vbi etiam ab illiteratis si tantum verba intelligerent, aliqua deuotio caperetur. Sed illis verbis pertransitis, vbi intellectus mutatur verborum, & deuotio refrigescit. Qualis enim deuotio haberetur ex literalis sensu in istis verbis: Qui emittis fontes in conuallibus, &c. que tamen omnia ibi scripta sunt iuxta sensum spiritualem. Tertia attentio est intellectualis, quando ex verbis psalmodiæ quæritur sensus spiritualis: vt cum historia exitus filiorum Israël ex Aegypto, & plagarum Aegypti referatur ad spiritualem nostram ereptionem de peccato vel seculo, vel ad peccatorum submersionem in flentibus compunctionis, & dæmonum cruciatus, & multa alia. In tali attentione est maximus fructus: quia & erudit animam per spiri-

psal. 103.  
26.

spiritualem intelligentiam, & afficit eam per  
 deuotionis affectum: & iste precipuus est ora-  
 tionis fructus. Secundus modus orandi est  
 saepe efficacior per verba proprio affectu for-  
 mata: vt cū Deo familiariter cōfabulatur ver-  
 bis suis, vel etiam vtitur verbis alterius affe-  
 ctui suo consonantibus, quasi coram Deo prae-  
 sente cor suum effundens, vel necessitates suas  
 conquerens, vel peccata confitens & miseri-  
 cordiam postulās: gratiam petens, & auxilium  
 implorans contra tentationum pericula & tri-  
 bulationum grauamina vel quascunque suas  
 vel suorum necessitates. Hic modus orādi ma-  
 gis requirit oportunitatem solitudinis vel si-  
 lentij circa se, & otij & quieris, quo plenius &  
 securius se in Deum effundat affectus. Maior  
 etiam in eo labor est capiti & corpori: ideo nō  
 potest ita frequēs esse vel durabilis, sicut prior  
 in prima & secunda attentionis specie, maxi-  
 mē debilibus corpore: & aliqui indiscretē eam  
 frequentantes destructi sunt. Vnde tales saepe  
 & breuiter sic orant & leuiter, vt ex frequentia  
 à Dei familiaritate non elongentur, & ex bre-  
 uitate & leuitate non destruantur.

2. Orandi  
 modus,  
 per verba  
 affectu  
 proprie  
 formate.

*De diuersis affectibus & imaginationi-  
 bus diuersarum personarum in orante,  
 & in eo quem orat.*

CAP. LXI.

Secundū autē diuersas causas, hic modus  
 diuersarum personarum format affectus, &  
 voces in orante, & diuersarum personarum  
 imaginationes in eo quem orat. Aliquando  
 enim homo personam rei assumit, coram Deo  
 iudice astans cum tremore, & dicēs Deo: Noli  
 me cōdemnare. Item, Non intres in iudicium  
 cum

Job 10, 1  
 Psal. 142, 2